



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Uniuersa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Sect. 4. Soluuntur obiectiones contrariæ sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

Monium cap. 30. Prospero ad capita Gal-
lor. cap. 14. & 15. Beda tom. 8. in lib. qua-
stionum, Quæstione 13. post medium. Da-
masc. lib. 2. de fide cap. 30. aliisque pluri-
bus, affirmantibus, Deum non prædestinare
ad malum culpæ, neque peccata esse à Deo
prædestinata, sed permilla tantum, id est, ad
summum velle tantum eorum permissio-
nem, præuiso scilicet fore ut creatura pec-
cat per abusum suæ libertatis, si ipse non im-
pediat, neque desit officio causæ primæ: de
quo alibi plura. Nunc ad impugnationem
vtriusque sententiæ, & ad nostræ assertionis
confirmationem sufficiet hæc ratio. Si Deus
vellet materiale peccati intrinsecè malum,
aut etiam extrinsecè in iis circumstantiis in
quibus non potest non esse malum, aut vellet
aliter illud permittere, quam ex hypothesi
malitiæ creaturæ; vellet ipsam malitiā pec-
cati. Sed Deus non potest velle malitiā pec-
cati, ergo &c. Minor est clara: quia Deus non
potest velle turpiter & inordinate: velle au-
tem malitiā peccati, est velle turpiter &
inordinate: quia est velle aliquid, quod recta
ratio non dicit esse volendum, sed potius
nolendum & abominandum. Maior autem
probat, quia velle absolute (id est, non ex
hypothesi malitiæ aliunde futuræ, & præ-
suppositæ ut futuræ) actum in iis circum-
stantiis in quibus non potest fieri nisi malè
moraliter & culpabiliter, est velle ipsam
malitiā peccati, & inducere ad talem ac-
tum, vel illum expetere; est inducere ad
peccandum culpabiliter, vel expetere pec-
catum culpabile: quod ipsum est pec-
care, & indecenter agere. Neque verò aliter
solent communiter homines impellere
culpabiliter alij alios ad peccandum, aut velle
& expetere peccatum, siue proprium siue
alienum. Potest quidem sine peccato desi-
derari, aut postulari ab alio, id quod potest si-
ne peccato fieri ab illo, quamuis prævideatur
illum non sine peccato id facturum ex sua
malitiâ: ut petere mutuum, in necessitate, ab
eo quem præuides non datum sine vsura.
Potest etiam amari aliquid & expeti, quod
necessariò supponit peccatum, ex hypothesi
tamen peccati aliunde positi, quod non ama-
mus, neque esse volumus: sed tamen illo præ-
supposito, volumus & amamus bonum quod
ex illo sequitur. Verum absolute velle ali-
quid quod necessariò supponit aut includit
peccatum; velle item aliquid fieri in iis cir-
cumstantiis, in quibus non potest nisi malè
moraliter & culpabiliter fieri, illicitum est
& inhonestum; adeoque Deo indignum, &
prorsus impossibile respectu Dei.

26.
Deus non
amat
nec
cessariò
quicquid
est necessa-
riò conexum
cum
omnipo-
tentia.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ ini-
tio sectionis propositum, Respondeo, Deum
non amare necessariò quicquid est necessa-
riò conexum cum suæ omnipotentia. Quia
non est necesse, ut quisquis amat aliquid,
amet etiam quicquid necessariò est conexum
cum illo. V. g. qui amat contritionem,
non amat propterea peccatum, quamuis con-
tritio habeat necessariam connexionem cum

peccato, ita ut sine illo præsupposito exerce-
ri non possit. Deus amat cognitionem suam
& scientiam diuinam, quâ nouit ipsam mali-
tiam peccati, siue ut possibilem, siue ut actua-
lem; & tamen non amat ipsam malitiam, ut
cum omnibus Catholicis fatetur Auctor
quem impugnamus: quamuis cognitio mali-
tiam peccati, quatenus est cognitio talis ob-
iecti, habeat necessariam connexionem cum
illo. Idemque dico de cognitione Dei, quâ
nouit falsa esse omnia quæ sunt falsa, aut quâ
nouit fictitia & entia rationis, quæ propterea
non amat, tamen amat suam scientiam cir-
ca illa. Quamuis autem actus peccati non
sit malus formaliter, & culpabilis, quatenus
à Deo; sed tantum quatenus est à crea-
tura agente contra debitum scienter &
liberè: non posset tamen Deus velle &
amare actum peccati in iis circumstantiis,
in quibus non potest nisi culpabiliter fie-
ri, quin vellet & amaret ipsam malitiam
peccati, ut superius ostendimus. Quare
non prodest quod addit idem Auctor ad
remouendam à Deo volitionem & amorem
malitiæ.

SECTIO IV.

Soluntur obiectiones contrariæ
sententiæ.

27
Gravis
obiectione

Obijcitur primò, Deum diligere quic-
quid est, & nihil odisse eorum quæ fe-
citur, iuxta illud Sapient. 11. *Diligis omnia quæ
sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Atqui enti-
tas actus peccati est, & Deus illam facit con-
currente cum creatura ergo &c. Confirmatur,
quia Deus vult facere quicquid facit: nõ
enim operatur ad extra nisi per intellectum
dirigentem, & voluntatem efficacem, siue
immediate, siue potius mediante omnipotentia
quam applicat. Ergo Deus facit entitatem
peccati: ergo vult illam facere. Ergo
vult illam esse. Item quicquid est ens, est
bonum & amabile: sed entitas actus peccati
est ens, ergo &c. Secundò, quicumque vult
& amat potentiam peccandi, vult & amat
peccatum ut possibile. Sed Deus vult & amat
potentiam peccandi, quia vult & amat liber-
tatem creaturæ quæ est potentia peccandi:
ergo vult & amat peccatum ut possibile.
Tertiò, qui vult positiuè permissionem pec-
cati, vult ipsum peccatum. Sed Deus vult
positiuè permissionem peccati: non enim sic
aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel si-
nendo ut fiat, vel ipse faciendo, ut ait S. Au-
gust. in Enchir. cap. 95. vbi per *sinendo ut fiat*,
intelligit volendo sinere, seu nõ impedire ut
fiat, iuxta illud quod addit cap. 106. eiusdem
libri: *Neque utique nolens sinit, sed volens; neque
sinerat bonus malè fieri, nisi Omnipotens, etiam de
malo, posset facere bene.* Quartò, Deus vult &
amat vniuersi perfectionem: ergo & quicquid
facit ad vniuersi perfectionem. Sed peccata

faciunt ad vniuersi perfectionem: Ergo Deus amat peccata secundum illam considerationem. Quinto, peccata sunt causa plurimorum & maximorum bonorum, quae Deus ex illis colligit, & propter quae illa permittit: ergo peccata eatenus sunt bona & amabilia. Addunt aliqui argumenta alia desumpta ex reprobatione antecedenti ad mala opera prauis: sed ea nobis nullam faciunt difficultatem, qui talem reprobationem non admittimus. Deus etiam nihil supponens, aut inuoluens peccatum, absolute & antecedenter praedestinuit, siue respectu praedestinatorum, siue respectu reprobatorum, vt ostendimus suo loco.

28. Nunc ad primum argumentum Respondeo, Sapientem par, omnia quae sunt, intelligere eo loco omnes creaturas substantiales, quarum proprium est esse simpliciter. Accidentium vero est inesse: & a Philosophis dicitur non esse entia simpliciter, sed entis entia. Sensus ergo illius loci est, Diligis omnes creaturas substantiales, & nullam substantiam prosequeris odio, quam fecisti. Nullam, inquam, substantiam precise quia substantia est, & secundum esse substantiale quod accepit a te. At non est sensus, quod substantias intellectuales vt peccantes non oderit: odio enim sunt Deo impius & impietas eius, Sapient. 14. id est, & peccatum impietatis, & ipsa persona propter peccatum: aut quod Deus vniuersalissime diligit omnia quae quomocunque sunt, aut insunt: id enim repugnat verbis proximè sequentibus, *Nec enim odians, aliquid constituisi aut fecisti*: cum certum sit Deum ex odio peccati, poenas constituere aut infligere, atque odiendo impios, eorumque impietates, eos in aeternum miserrimos reddere. Simili modo loquendi videntur sancti Patres, cum disputantes contra Manichaeos, per nomen, *Res*, intelligunt solas substantias: Nunquid nullam rem, id est, nullam substantiam, esse malam: & peccatum non esse rem, sed esse actum: quia si res est, necesse est habeat auctorem: & si auctorem habet, iam alter erit auctor, quam Deus, alicuius rei. Quod si hoc impium est; necesse est dicere peccatum esse actum, non rem, inquit S. August. lib. de perfectione iustitiae, cap. 2. ratiocinat. 4. Et Auctor Hypognosticon apud eundem Augustin. lib. 1. in fine: *Diabolus natura est Angelus: sed quod natura est, opus Dei est. Quod vero diabolus, vitio suo est, uiuendo male natura sua bono. Opera vero eius mala, quae vniuersa dicuntur, actus sunt, non res.*

29. Ad primam confirmationem Respondeo, Deum non velle simpliciter facere quicquid facit: sed quod attinet ad, entitatem actus peccati, velle tantum, ex debito causa primae, praebere concursum necessarium creaturae ad faciendum pro sua libertate, id quod ipse fieri non vult, nolitione tamen non omnino efficaci, sed permissiua oppositi, ne impediat exercitium liberi arbitrij creaturarum. Vnde etiam Deus non dicitur simpliciter operari actum peccati, sed permittere vt creatura

abutatur suo concursu necessario ad eliciendum actum, quem Deus omnino prohibet, ac ferè non vult fieri, iuuatque per auxilia gratiae, vt ab eo abstinemus. Quo sensu Chrysostom. hom. 8. in epist. 2. ad Timoth. multò ante finem, *Hoc solum scito*, inquit, quod Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrij conditus sumus, quod alia quidem operatur, alia vero permittit, quod nihil mali vult fieri, quod non ex sola ipsius voluntate sunt omnia, sed ex nostra quoque. Mala quidem omnia ex nostra tantummodo sunt, bona vero omnia ex voluntate nostra, & ipsius adiutorio. Quod nihil ipsum laes: non tamen quia nihil ipsum laes, idcirco omnia operatur ipse. Et quamuis per voluntatem efficacem applicet potentiam suam ad concurrendum, non tamen propterea vult simpliciter & amat actum qui fit, sed vult tantum concurrere, quasi necessitatus & adactus ex officio causa primae, ad actum qui alioquin illi displiceret. Sicut mercator, necessitatus periculo naufragij, vult proijcere merces in mare, quam tamen projectionem non amat. Ideoque Deus per Prophetam sic conqueritur de peccatoribus. *Veniuntamen seruire me fecisti in peccatis tuis: praebisti mihi laborem (in gratum & molestum) in iniquitatibus tuis.* Isa. 43. v. 24.

Instabis, quia velle Deum, concurrere cum creatura ad entitatem actus peccati, est velle illum actum facere. Ergo est velle illum actum esse. Respondeo, velle concurrere praedicto modo, non esse velle simpliciter actum illum facere, neque illum amare: sed tantum velle secundum quid, & potius esse moraliter Deum, nolle deesse officio causa primae: sicut mercatorem velle proijcere merces in mare metu naufragij, est potius moraliter nolle perire: proiectum enim displicet secundum se.

Ad secundam confirmationem Respondeo, quicquid est ens, esse bonum bonitate entis, id est, habere essentiam totam, quantum habere debet, sed non propterea esse bonum moraliter obiectiue, id est, esse conueniens appetibile à natura intellectuali, quamuis possit inordinate appeti à voluntate peccabili, cuiusmodi non est voluntas diuina.

Ad secundum argumentum Respondeo, Deum amare libertatem creatam, non vt est potentia ad peccandum, sed vt est potentia ad bene agendum, ad quem etiam finem Deus eam creauit. Ex quo non sequitur Deum amare peccatum vt possibile.

Ad tertium, nego Maiorem. Aliud enim est peccatum; & aliud, permissio, id est, non impedio peccati. Neque qui habet voluntatem non impediendi peccatum, habet propterea voluntatem vt fiat. Potest enim illud detestari, & abhorreere, quamuis non impediatur, siue possit impedire, siue non possit. Si tamen possit impedire, & non impediatur, non detestatur efficaciter: sed neque tamen propterea vult fieri, quod quidem interpretatiue, si non tenetur impedire.

Ad quartum, nego peccata facere ad vniuersi perfectionem, potius enim turbant or-

Chrysofi

30.

Solutur instantia.

31.

line & perfectionem vniuersi. Ad quintum, nego consequentiam. Peccata enim non sunt per se causa huiusmodi bonorum, sed per accidens, quatenus eorum occasione Deus, pro sua misericordia & sapientia, bona de malis elicit.

SECTIO V.

An Deus velit necessariò facere semper id quod melius est?

32.
Deus non
vult neces-
sariò face-
re semper
id quod
melius est

Respondeo negatiue. Probatur primò ex Scriptura. Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis sue, Ephes. 1. id est, secundum liberam electionem: Nam vbi est necessitas & determinatio ad vnum, non est locus consilio & deliberationi quid agendum sit. Propterea enim cõsuleret qui esset ad vnum determinatus. Ergo quicquid Deus facit, liberè facit. Ergo si facit sepe id quod melius est, liberè illud facit. Confirmatur, quia Scriptura loquens de præcipuis & summis operibus à Deo factis, vt de Incarnatione, Eucharistia, prædestinatione, & similibus, liberam in illis dei charitatem, misericordiam, & dignationem cõmendat. Sic Deus dixit mundum, & c. Ioan. 3. Qui secundum misericordiam suam magnam saluos nos fecit, Titi 3. v. 5. Nusquam Angelos apprehendit, sed semel Abrahã apprehendit, Heb. 2. v. 16. Probatur secundò ex Sanctis Patribus, qui cum de ipsè operibus loquuntur, disertè affirmant Deum ab illis abstinere potuisse, adeoque libere illa facisse. Sic D. August. lib. 13. de Trinit. c. 10. initio, de Incarnatione, & mundi per Christum redemptione loquens, asserit non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacerent, id est, æquali facilitate potuit alium modum, præ isto, adhibere. Et lib. de agone Christiano cap. 11. dicit, Stultos esse qui putant non potuisse aliter sapientiam Dei hominem liberare, nisi carnem assumendo.

33.

Probatur tertio ratione. Quia si Deus necessariò faceret sepe id quod melius est: ea quæ facit non possent ab ipso non fieri: ac proinde amitterent rationem doni gratuiti, propter quod laudem specialem & gratiarum actionem Deo debeamus. Neque esset cur sollicitè à Deo peteremus beneficia quæ postulamus. Vel enim melius est ea nobis conferri, vel non. Si primò: Deus necessariò conferret, quis non oretur. Si secundum: necessariò non conferret: quia non potest facere, nisi id quod melius est. Dices, adhuc esse locum orationi: quia quod per se solùm non esset melius fieri, erit melius adiuncta oratione, & propter orationem. Sed contra, quia vel melius est adiungere orationem, vel non. Si primum: Deus necessariò illam adiungeret, neque opus est vt de illa adiungenda sim sollicitus. Si secundum: necessariò non adiungeret. Confirmatur, quia libertas in operando circa nos sibi necessaria, vel non summe bona, est perfectio excellentissima vita intellectualis, per quam agens liberum suis actionibus cõminatur: estque perfectio simpliciter simplex, id est, melior

ipsa quam non ipsa, aut quælibet alia incompossibilis cum ipsa, cuiuslibet entis vt ens est. Ergo conuenit Deo enti simpliciter perfectissimo, & viuenti excellentissimo, rectissimo, que omnia appetenti: necessariò, necessaria: liberè verò, id est non necessariò, non necessaria. Nihil autè extra Deum est summe bonum, vel ipsi Deo necessarium: quippe nullius indigenti, sed sibi ipsi sufficenti, ac per se ipsum perfecto & beato, iuxta illud ps. 15. Dixi Domino Deus meus est tu: quoniam bonorum meorum non eges. Adde quòd orbis terrarum, id est, creaturæ omnes, quantumuis bonæ & perfectæ, dicuntur esse quasi nihilum respectu Dei, Sapient. 11. v. 23. & Isa. 40. v. 17. Quomodo ergo Deus vellet necessariò id quod ipsi nihil est? Voluntas enim recta non fertur necessariò nisi in id quod ipsi necessarium est. Quare cum ea, quæ inter creaturas sunt meliora: non sint Deo necessaria: Deus non fertur necessariò in illa per voluntatem efficacem ea producendi: atque ita non facit necessariò id quod melius est.

Neque par est ratio de amore simplicis complacentiæ creaturæ vt possibilem, quem fatemur esse Deo necessariò & essentialè. Nam omnipotentia est attributum Dei necessarium & essentialè, quod Deus nõ potest non amare. Possibilia autè habent necessariam cõnexionem cum omnipotentia, velut eius obiectum conueniens & amabile (loquor enim de bonis possibilem) & Deus amat illa, veluti obiectum necessarium suæ omnipotentia, conueniens & amabile.

Obijcies: Deus se amat necessariò amore infinito, & quo maior esse non potest. Ergo eodè pondere, eademque necessitate fertur ad quærendam in omnibus maiorem suam gloriam. Maior autè est Dei gloria in faciendis operibus quæ meliora sunt, & in quibus magis elucet Dei sapientia, bonitas, omnipotentia, aliaque attributa: ergo Deus facit necessariò ea quæ meliora sunt. Antecedens, quòd scilicet Deus necessariò se amet infinite & perfectissime, clarum est. Consequentia verò probatur, quia amare aliquem est velle ei bonum. Gloria autè Dei extrinseca est aliquid Dei bonum: & maior gloria est maius bonum. Qui autè diligit aliquem perfectissime, ita vt amplius non possit; ex necessitate talis amoris vult illi & procurat optima quæ potest: alioquin non amat perfectissime, & posset recedere in amore. Confirmatur, quia si quis se amat summo amore quo posset; sine dubio vellet sibi quicquid optimum esset, si sciret quid nã sit hoc optimum. Confirmatur secundò, quia creatura quæ posset plura ac meliora facere in obsequium Dei, & nõ faceret; cõuinceretur minus perfecte diligere Deum. Ergo similiter Deus minus se amat, si potest plura ac meliora facere ad suam gloriam, & velut in obsequium suæ bonitatis; nec tamen facit. Confirmatur tertio, quia diuina voluntas omnino cõformatur diuino intellectui (optima enim voluntas conformatur rectissimo intellectui) sed diuinus intellectus iudicat melius esse

Vellet
Deus nec-
cessariò
morali it
quod me-
lius est